





6  
DE RELEGATO DEBITO  
DISSERTATIO

9  
779,8.  
QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE

ET DOMINO

DNO FRIDERICO II

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQUA

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

AD SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

RITE CAPESENDOS

PVBlico EXAMINI

AN D. XXIII. NOVEMBR. CIO IO CC LXXVIII

S VBIICIT


IACOBVS L VDOVICVS IKEN

BREMA-SAXO



MARBVRGI  
TYPIS IOANNIS BAYRHOFFERI.





SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO  
INCLVTAE  
S.R.I. REIPVBЛИCAE BREMENSIS  
SENAT VI  
VIRIS  
PERILLVSTRIBVS MAGNIFICIS  
EXCELLENTISSLIMIS CONSVLTISSIMIS  
PRVDENTISSLIMIS GRAVISSIMISQVE  
P R A E S I D I  
C O N S V L I B V S  
S Y N D I C I S  
S E N A T O R I B V S

PATRIBVS PATRIAЕ  
RELIGIONIS LIBERTATIS ET IVSTITIAЕ  
DEFENSORIBVS VIGILANTISSIMIS  
MVSARVM TVTORIBVS OPTIMIS  
PATRONIS AC FAVTORIBVS  
OMNI REVERENTIAE CVLTU  
SVSPICIENDIS  
INTERQVE HOS PARENTI OPTIMO  
AC MERITISSIMO  
PERPETVAM FELICITATEM LAETISSIMOSQUE  
SAPIENTISSIMORVM CONSILIORVM SVCCESSVS  
PIE PRECATVS  
DISSERTATIONEM HANC  
DEVOTA MENTE  
D. D. C

IACOBVS LVDOVICVS IKEN



## I

## DEFINITIO LEGATI EXAMINATA

Cum argumentum id, quod speciminis caussa sumsimus tractandum, ad doctrinam pertineat de legatis: haud abs re arbitramur futurum, si quaedam de illis in vniuersum, quaeque definitionem adeo eorum afficiant illustrantque, praemisero. Ac legandi quidem verbum non modo generale esse, sed ratione effectus habita quoque liberum olim plenissimumque de rebus suis testantis arbitrium significasse, obseruat GOEDDAEV<sup>S</sup>, vir doctissimus, ad l. 120. *Dig. de V.S.* Posteaquam vero testantium facultas illa et legibus et prudentum interpretatione fuerat cir-

A

cum-

cumscripta, nouum quoque magisque definitum legatorum modum constat esse introductum. Cum enim legare olim tam donare, inque testamento rem alicui relinquere, quam heredem instituere eique substituere exheredemque adeo scribere aliquem designaret; iure recentiori id vocabulum ad donationem caussasque pias significandas refertur maxime accommodaturque.

Tres autem in iure nostro legati occurrunt definitio-nes: vna FLORENTINI l. 116. pr. *Dig. de legat.* I., vt sit delibatio hereditatis, qua testator ex eo, quod vniuersum heredis foret, alicui quid collatum velit; altera MODESTINI l. 36. *Dig. de legat.* II. donationem in testamento relictam illud esse dicentis; tertia denique Imp. IVSTINIANI, qui premissus §. 2. *Inst. de legat.* donationem esse ait a defuncto relictam ab herede praefstandam. Ac delibatio dicitur propter modum legatorum ciuilem, constitutum lege Falcidia, illis hereditas vt ne exhausturetur. v. §. 1. *Inst. de legat.* Illud tamen minus probatur mihi, quod cit. loco GOEDDAEVS, VOETIVS aliique volunt, constitutionibus effectum fuisse, vt legatum hodie tam hereditatis, quam ipsius quoque legati, dici posset delibatio. Verum res in eo vertitur, vt doceant, iure novo, quo legata et fideicomissa particularia exaequata sunt, etiam a legatario recte legatum relinquiri posse.

posse. Negant hoc VLPIANVS regul. tit. 24. §. 20. et  
 CATIVS Inst. lib. II. tit. 7. §. 4; quin ipse IVSTINIANVS  
 §. 2. Inst. de sing. reb. per fideic. Sed fidei legatarii rem ali-  
 quam committi potuisse vel patet e l. 4. §. 1. Dig. si quis  
 omisso causa testam. Quid ergo statuendum nobis est  
 secundum l. 2. C. communia de legat. Fideicommissis  
 IVSTINIANVS hic vim tribuit legatorum, hoc est, ius  
 illa vindicandi, cum antea extra ordinem peterentur.  
*l. 22. §. 1. Dig. ad SC. Trebell. PAVLLVS sent. recept.*  
**III. 1. 18.** Rursus ex illorum natura in legata transtulit  
 benigniorem plenioresque voluntatis interpretationem,  
 cum in eis antea rigor iuris dominaretur. Iam eadem ab  
 intestato relinquunt possunt, cum ante D. PII constitutio-  
 nem haec res ne in fideicommissis quidem rata esset. Num  
 vero Imperator naturam rerum tam diuersarum mutare  
 ita potuit, nullae ut inter eas supersint hodie differentiae?  
 Non putauerim. Ne quid de illis dicam, quae in doctrinae  
 compendiis notantur, hanc vel maxime defendo, fidei  
 quidem legatarii committi recte, non autem ab eo legari.  
 Si, cur ita statuam, rationem quaesueris, nec rei naturae,  
 neque iuri ciuili videtur esse consentaneum, duo ut sint  
 eiusdem rei domini in solidum. *pr. l. 19. de precar. l. 5.*  
*§. vlt. commod. l. 3. §. 2. Dig. de adq. poss.* At in rem  
 nostram licebit quoque vti *§. 2. l. 66. Dig. de legat. II.*

A 2

Ait

Ait ibi PAPINIANVS: si fundi pars simpliciter (in duorum scilicet testamentis) legata sit, solutionem priorem non perimere alteram actionem; sed heredem alterum hanc eandem partem quodammodo suam factam posse soluere: NEQUE enim plures in uno fundo dominium iuris intellectu, non etiam corporis diuisione, obtinere. HALOANDER et, qui eum sequitur, HOTOMANNVS quæst. ill. 18. pro neque reponunt namque. Sed hac emendatione, quamuis modesta, non indigemus: neque enim de partibus indivisis, cui opponatur ipsius corporis diuisione, oratio est: sed iurisconsultus hoc plane vult, quia in duobus testamentis pars fundi eidem homini legata sit, ipsum ex utroque testamento partem petendo totius fundi dominum fieri, neque heredes cum eo concurrere, quia nulla corporis diuisione vel facta sit, vel concipi possit talis, qualis quidem §. antec. legata parte Maeuii poneretur; nec duo eiusdem rei domini, in solidum scilicet, iure intelligantur. Quod si quis constitutionis excitatae verba urget haec: si fidei HEREDIS VEL LEGATARII aliquid committitur, HOC ET LEGATVM ESSE VIDEATVR: respondere promptum est, Imperatorem, cum naturam rerum non magis mutare posset, quam, ut false TIBERIVM ille risit Grammaticus, vitae necisque ius in verba exercere, illum igitur non dixisse illud legatum reuera esse, sed videri tan-

tantum, propter vindicationis vim a se fideicommissis attributam. Porro ex his verbis minime efficitur id, quod volunt ii, qui dissentiant, legari scilicet posse a legatario; perinde enim esset, ac si dices vindicationem tibi rei alicuius concessam esse, quam a te rursus vindicet alius; quod non modo repugnat ciuili iuri, sed absurdum quoque est. Sed quod fidei legatarii committeretur, hoc cattentus pro legato voluit haberri, quatenus is ipse, cui reliquum esset, a posseffore vindicaret. Dicam apertius, quod sentio, non de legato illum loqui, sed de fideicommisso, quippe quod a legatario reliquum eandem vim obtineat, quam legatum reliquum ab herede. Nihil denique praefidii quisquam repererit in verbis legis illis prioribus, *vbi CONTRARIVM aliquid in legatis aut fideicommissis euenerit, hoc fideicommisso quasi humiori aggregetur, et secundum eius dirimatur naturam.* Nimirum intelligit is benignorem fideicommissi naturam, quae et voluntatis suscipiat quaestionem. Forte autem in mentem cui querere veniat, an in causa legati a legatario relieti, ut voluntas legantis habeat exitum, restitutio legati ei tanquam per fideicommissum iniuncta videatur? At cum absurdum esse ostenderimus legari a legatario, eiusque fidei restitutionem omnino committere possit testator, ipse denique *IUSTINIANVS* in causa ponat fideicommissum: cur quaeso

dico-



*arationis* eiusmodi verbis illis interpretetur? praesertim  
 cum argumentum, vnde verba ista declaremus, foecun-  
 dum sit. Sed ne longior sim, ne verbum quidem addam.  
 Nobis enim ostendisse satis est, quam inique EVERAR-  
 DVS OTTO aliique IVSTINIANVM, vel TRIBONIA-  
 NVM potius eiusque in illo labore socios, exagitent,  
 parum quod memores exaequationis legatorum ac fidei-  
 commissorum essent, quodque adeo sententiam illam,  
*legatum a legatario relinqu non posse*, e veteris cuius-  
 dam iurisconsulti libro, CAII videlicet, tum in *pr. Inst.*  
*tit. de sing. reb. per fideic.*, tum in §. 10. *tit. de fideic.*  
*hered.* transtulerint. Manet igitur, legatum hereditatis  
 delibationem esse; sed paucis quoque de altero illo signifi-  
 catu, quem prior ille quidem non excludit, scilicet dona-  
 tionis. Nam suae aetatis consuetudinem innuit MODE-  
 STINVS, cum ait, legatum esse donationem in testamento  
 reliquit; cum e IVSTINIANI constitutione etiam ab in-  
 testato relinqu posset. Neque pugnat ille cum IVSTI-  
 NIANO in hoc: donationem ab herede esse praestandum.  
 Quis enim praeter heredem in testamento ad dandum ali-  
 quid faciendumue obligatur? quare etiam legatum differt  
 a donatione mortis caussa et quavis alia, ad cuius praesta-  
 tionem defunctus noluerit vti herede. Nam vt legatum,  
 quod praefat is, qui testamentum fecit, naturam mutat ita,

vt

vt vel in donationem inter viuos, vel mortis cauſa, trans-  
eat: ſic legatum plane eſſe nequit, quod teſtator Maeuio  
reliſtum, eidem poſtea donatum velit. l. 14. *Dig. de adim.*  
*vel. transſ. leg.*

De honore, quem legatum adferat ei, cui reliſtum  
ſit, dicere ſuperſedeo; fuit certe in cauſa, cur legata  
poenae nomine relicta pro inutilibus haberent veteres.  
Sed de relegato quum quaedam nobis ſit commentari  
propositum, quaeftionemque ab interpretibus moueri foli-  
tam pro noſtro iudicio definire, retinendum erit, quod non  
ſolum de donatione, verum etiam de honore legati, per-  
tractatum meditatumque habemus.

## II

### QVID SIT RELEGATVM

Cum plures Iurisconsultorum veterum loci de relegato  
exſtent, duo inprimis ad rem propositam videntur per-  
tinere, vt PAVLLI pr. l. 82. *Dig. de legat. II.* debitum,  
quod quis creditori ſuo legaſſet, cum dote relegata com-  
parantis, et, qui dotem ita legatam reddi ait potius,  
quam dari, PAPINIANI l. 77. §. 12. *eod.* Vterque vero  
emolumentum respicit in eum, cui legatum eiusmodi fit  
reliſtum, redundaturum. Nam cum id, PAVLLVS inquit,  
quod

quod ex die debetur, creditori legatum est, hic, quoniam eius statim exigendi facultatem nanciscitur, medii temporis commodum siue interusurum, quod dicunt, lucraturus est; nec PAPINIANVS, et si ab vxore, cui dos relegata sit, fideicommissum relinquere posse negat, quia non ex lucrativa causa capere, sed proprium sibi recipere videatur, (qua iuris ratione et PAULLVS vsus est Sent. rec. IIII. 1. 1.) tamen commodum ex eiusmodi legato representationis diffitetur, vt alia nunc taceam, illationis v. g. dotis aduersus liberos non probandae. Iam relegatum sic definitum arbitror, vt sit legatum, quo quis debitum creditori reddit cum aliquo emolumento. Dixi relegatum cum VLPIANO, CELSO, IVLIANO, MELA, PAPINIANO aliisque, quod non modo probant l. 13. 16. et 17. Dig. de dote praelegata, siue potius relegata, (sic enim legit HALANDER, et Basilica habent, περὶ προικὸς αντιλέγατεν θείσης,) sed praeterea etiam l. 41. §. vlt. de legat. II. et l. 95. de legat. III. At in vulgatis quoque reperies praelegatum, praelegatio, praelegare, pro relegare, relegatio, relegatum. l. 88. §. 7. de legat. I. l. 27. de vſu et vſufr. l. 17. de reb. dub. l. 30. Dig. de paet. dotal.; neque id sine ratione, quia praelegari dicitur dōs, quam mariti heres ante, quam illius reddendae dies venerit, reddere mulieri iubetur. Quid? cum praelegatum et praecipuum signifi-  
cet,

cet, quod vel heredi relinquitur, vel, vt ait DONATVS ad Virgil. Aeneid. V., praeter communionem singulis proprio nomine deputatur: non dūbitauit neque PAPINIANVS §. 3. l. 7. Dig. de dote praelegata, neque VLPIANVS l. 2. §. vlt. eod. dicere praeceptionem dotis, vel eam praecepere, praecipuamque habere; licet interdum simpliciter dicatur legari dos, vxori scilicet, vt l. 16. et 17. Dig. de dote praeleg. et l. 13. eod., vbi epitomator τῶν περὶ θαυμῶν Labeonis, dotem, inquit, vxori, vt solet, legauit, i. e. praelegauit.

## III

## FORMAE RELEGATIONIS

Relegatum, quod definiuimus, duplex est, vt debiti qualiscunque, speciei scilicet vel quantitatis a testatore definiendae, et dotis e lege Papia, vtpote quae lex vxori praeter decimam, quam matrimonii iure capiat, dotis quoque sibi legatae dat petitionem. v. VLPIAN. tit. 15. regul. Sed alio plane sensu dicitur relegari vsusfructus, vt l. 23. Dig. de rsu et rsufr. legato, quae formula nihil aliud designat, quam usumfructum repetere vel repetito

B

legare,

legare, idque non solum expresse, *quoties amissus erit*, sed etiam tacite, *quoad viuet legatarius*, fieri potest, quemadmodum e locis hanc in rem adferri solitis est intelligere. Nolim vero cum BRISSONIO (de VS. verbo *relegare*)  
huc trahere *relegatum vsum*, l. 18. *Dig. de vsum et habit.*; quoniam haec verba, plane ut l. 27. *Dig. de vsum et vsufr.* praelegatus dicitur *vsufructus*, de *vsum* per praeceptionem legato accipienda sunt. Neque enim in Codice FLORENTINO legitur praelegatio, praelegare, sed relegatio, relegare. Ceterum, ipso BRISSONIO monente, mirari subit, qui is, pluribus locis aliis, e quibus commemorasse sufficiat l. 3. quibus modis *vsufr.* et l. 13. *Dig. de vsum et vsufr.*, vim sibi visus sit reperire, *repetito legare*, cum manifeste prior ille *praecepui* vel *praeceptionis* locum habet. Diuersus quoque occurrit significatus *praelegati peculii*, *obligationis reliquorum*, quo non *praecepium* aliquod heredis, sed alterius cuiusque socii ex re, separatum quod sit a communione, intelligi videtur. l. 97. *de legat.* III. l. 1. §. 4. *de except. rei vend.* l. 10. §. vlt. *de peculio legato ei* l. 8. §. penult. *de liberatione legata*, de quibus locis nunc quidem non vacat differere.

III.

---

**III****RELEGATI DEBITI VTILITAS**

Cum igitur legatum debiti, quod et relegatum dicimus, donationem quandam conueniat comprehendere, id quod verba important definitionis, *cum emolumento aliquo reddere*, facile definitur quaestio, sitne legatum vtile ita, ut ex testamento peti possit. Nisi enim liberalitatem tibi conceperis, quae eiusmodi legati, quaeso, vtilitas, cum creditori in promtu sit actio in personam, nata scilicet e contradicenti vel e veteri obligatione. Quare ut e sententia IUSTINIANT rem definiamus, vtile hoc legatum erit tum, cum plus in ipso, quam in debito est, atque creditoris adeo refert, ex testamento potius, quam ex priori obligatione agere. Interim cauendum nobis est, ne admittamus idem, quod PAULLVS pr. l. 82. de legat. II. quibusdam obiecit vitium, statuendo, in actionem ex testamento non nisi commodum venire id, quod debiti adlatura sit relegatio. Sane ipsum ea actione debitum peti posse is euicit e contrario, haud contemnenda ratio quae est. Nam si solum, inquit, interusurium (barbare quod vocant *τὸ interesse*) peti debet: quid fiet, si fundus, ex die debitus, sit relegatus? Ut enim non reperitur facile

B 2

pars

pars eius, quae peti possit, ita minus etiam pecunia, quae legata non est, in petitionem veniet.

## V

## VTILITAS CAVSSIS DECLARATA

Primum igitur legati huius commodum erit representationis, quod vtique spectandum esse inficias nemo iuerit, cui in mentem venerit CLAVDIANI illud: *omne futurum despicitur, suadentque sui praesentia fructum.* Atque eleganter ait PAPINIANVS l. 5. Dig. ad leg. Falcid., vtile esse legatum, quod dies vel conditio faciat, h.e. pecuniae pure relictae, quae in diem vel sub conditione debeatur. Sed, vt monui supra, non utilitatis sola aestimatio, quanti scilicet intersit, pecuniam illam statim solui, peti debet, sed totum, quod datum est. Qua in re PAPINIANO excit. l. 5. Dig. ad leg. Falcid. cum PAVLLO pr. l. 82. Dig. de legat. II. conuenire intelligimus; non item vero cum VLPIANO, quem hic dissentientem forte peteret, visum fuisse, satis, opinor, patet e l. 66. Dig. ad leg. Falcid. Eundem tamen illi sibi assentientem habent, cum statuunt, in medii huius temporis commodo, quod interusurum dicitur, Falcidiae non minus locum esse,

esse, quam in relegata dote; etiamsi non desint, qui induci fortasse l. 81. *Dig. ad leg. Fulcid.* detractionem illam in dote negent. Quid autem? si relegati debiti dies interea, dum adeatur hereditas, superueniat? Ac PAVLVS petitionem idcirco non putat tolli, quia satis sit, diem utiliter cessisse. Neque haec tenus ille a PAPINIANO videtur dissentire. Sed, quod porro ait, inutile legatum effici, cum viuo testatore dies superuenisset, hoc denique PAPINIANO aduersatur, cit. loco disertis verbis ne tum quidem irritum fieri pronunciantis, quod semel, h. e. ab initio, constitisset. Vnde interpretes existimant, Imperatorem IVSTINIANVM §. 14. *Inst. de legat.* relictō PAVLLO in sententiam discessisse PAPINIANI. Iam vero cum inauditum non sit, quam se nobis venditet, quamque de consonantia operis sui iactet IVSTINIANVS l. 1. §. 8., iterumque l. 2. §. 15. C. de veteri iure enucleando, exstare in Pandectis non modo diuersae aetatis iurisconsultorum sententias discrepantes, sed et aequalium, quas proprie dixeris antinomias, quaque PHOTIVS singulari se libro περὶ ἐναντιοφανῶν collegisse testis est in nomocanone; nec incognitae denique sint ipsorum iuris auditorum retrætationes: quaerere adtinet, virum PAPINIANO, an ipse sibi potius pugnauerit hoc loco

loco PAVLLVS, si cum eo regulae eiusdem, quae tit.  
*Dig. de diuersis reg. iuris antiqui est 85, §. 1.* conferatur.  
 Etenim regula habet: *quae semel vtiliter constituta sint,*  
*ea durare, licet casus existat, vnde incipere non possint;*  
 eademque re pugnat PAPINIANVS. Quid igitur? variasse eum dicemus? nam regula illa quidem deponita  
 est e libro III, locus autem, de quo quaerimus, e libro X  
 eius *quaestionum.* At videtur PAVLLI dissensus, si quis  
 est, in adhibenda regula, constitisse ratio; quanquam  
 IVSTINIANVS PAPINIANI eidem inhaerentis, ut solet,  
 sententiam probauerit. Quid enim? num PAVLLVS  
 legatum prorsus inutile fore dixit, siquidem debiti dies,  
 viuente etiam tum testatore, superuenisset? Minime.  
 Quin vtile illud habuisse dicendus est, quatenus actione  
 ex testamento peteretur; contra inutile, quod nihil hac  
 in causa commodi in legatarium esset redundaturum.  
 Nam etsi in relegato non semper inest commodum eius-  
 modi, e quo relinqui fideicommissum, detrahiue Falcidia  
 possit; aliquam tamen creditori adferat vtilitatem necesse  
 est. Quae nulla plane illius hac in causa intelligitur,  
 nisi forte de exceptionis cuiusdam remissione diuinaueris.  
 Fac porro, eum debitum sibi legatum esse haud ignorasse:  
 equidem extricare non possum, quae eum causa impellere

po-

potuerit ad petitionem differendam, donec debitoris illius mortui hereditas cernatur. De ratione aliqua iuris loquor, non de humanitate. Quare non est, cur aut falsum dicamus id, quod PAVLLO placuit, aut IVSTINIANI nimium in PAPINIANO colendo studium aliquod exagitemus. Ceterum de re proposita praeter GOVEANVM ad leg. 5. Dig. ad leg. Falcid. et HOTOMANVS quaest. illustr. cap. 85. et ad l. 85. Dig. de regul. iuris, et PETRVS FABER, et IACOBVS denique GOTHOFREDVS, qui consulantur digni sunt. Cum nonnullis etiam l. 25. Dig. de liberat. legata huc visa fit pertinere, eandem legi relegique, at nihil me, quod in rem verterem meam, reperisse memini. Neque obfuit mihi loci difficultas, quam interpretando iam sustulerat perillustris ac magnificus in ciuitate patria Consul, idemque Patronus mihi pie colendus suspiciendusque, IOH. PVNDSACK, in egregia de legato liberationis ab indebito dissertatione.

Sequitur caufa relegati vtilis altera, eius quod pure ex stipulatu aliote stricti iuris negotio deberetur. Atque hoc interpretes trahunt l. 28. Dig. de legat. I., cuius verba sunt: *Marcellus libro vigesimo octauo putat, rem, quam ex stipulatu mihi debes, si legaueris, utile esse legatum, ut neque Falcidia hoc minuat.* Quaenam igitur est huius



huius legati vtilitas? iure veteri, inquam? Num fortasse  
 haec, vt creditor rem actione ex testamento consequi  
 possit? At, PETRO FABRO iudice *semestr. lib. III. c. 7.*  
*p. m. 90.*, actio ista non minus stricti iuris est, quam illa  
 ex stipulatu, utpote in quam fructus non veniunt, nisi  
 post litem contestatam. Rursus alii eandem ambiguæ  
 quodammodo naturae, et in quibusdam tantum caussis  
 bonae fidei inueniri perhibent. Interque eos EVERAR-  
 DVS OTTO est, qui illam, quod dubiae naturae esset, in  
 §. 28, *Inst. de actionib.*, vbi tam bonae fidei, quam stricti  
 iuris recensentur iudicia, omissam ait fuisse. Verum frustra  
 fuit, eam in rem excitando *l. 78. §. 2. Dig. de legat. II.*  
 Nam et alii *l. 84. et l. 87. §. 1. eodem* huc traxerunt; quos  
 locos si inspiceris, fatendum tibi erit, non de legato, verum  
 de fideicommisso esse intelligendos. Quid autem? fidei-  
 commissum an per formulam olim petebatur? dicam aperi-  
 tius, vlla temporibus iurisconsultorum, e quorum libris  
 scriptis isti centones decerpti sunt, ad fideicommissum  
 petendum prodita fuit actio, quam ad alterutrum genus,  
 bonae fidei et stricti iuris actionum, referre quisquam  
 posset? Non. Sed in caussa fideicommissi locum fuisse  
 cognitioni extra ordinem, vel VLPIANVS duobus quidem  
 locis testis est *regul. tit. 19. §. 16. et tit. 25. §. 12.* Nec  
 nisi

nisi sensu improprio ac latius vocabulum actionis in causa  
 fideicommissi accipitur l. 37. §. 4. *Dig. de legat. III.*,  
 siquidem eum ea conferas l. 187. *de V.S.*, quae itidem  
 ad id iuris caput illustrandum vir magni nominis attulit  
**GOEDDAEVS.** Quid? quod praetor, apud quem fidei-  
 commissi erat persecutio, non poterat aliquem rei facere  
 dominum, qualis vel est, vel exceptione remota esse  
 declaratur legatarius, sed fideicommissum aliquem minus  
 persequentem faciebat rei possessorem, quemadmodum  
 subtiliter e l. 3. *Dig. si ususfr. petatur* obseruat eruditissi-  
 mus PETRVS FABER, notis ad *Vlpian.*, in MEER-  
 MANNI Thes. T. VII. p. 770. Sed mittamus haec: de  
 legato tamen puto accipiendum esse l. 47. *de legat. I.*  
 Sic enim pr. huius capituli *VLPIANVS: cum res legata*  
*est, siquidem propria fuit testatoris, et copiam eius habeat*  
*heres, moram facere non debet, sed eam praestare.*  
 Cur autem? quia solidum non soluitur non minus die,  
 quam quantitate. l. 85. *Dig. de solution.* Heres igitur,  
 quanto minus soluerit, praestare debet. Quidni legati  
 debiti ex stipulatu concipi poterit utilitas? Rursus vero  
 rationes meas turbat *PAVLVS*, qui *sent. recept. III. 8.2.*  
 ait, *ex mora praefandorum fideicommissorum vel lega-*  
*torum fructus et usuras peti posse.* Neque enim lega-

C

tum



tum is hoc loco distinguit a fideicommisso; quin attentum me habent haec verba: *moram fieri, cum postulanti non detur.* Iam enim adtinet quaeri, vtrum heres in mora dicatur esse, simulac fit interpellatus, quae est *CORASII II. miscell. 7. sententia;* an, vt PETRVS FABER existimat, tum demum, postquam adierat, an tempus denique spectandum sit, quod *l. 1. tit. C. de usuris et fruct. legat.* praescribit, litis contestatae? Certe secundum istam constitutionem actio ex testamento utilior haud videtur, quam illa ex stipulatu; eoque magis de sententia ex iis aliqua amplectenda fui sollicitus, quod excitata constitutio est SEVERI et ANTONINI de iure quiodam aperto manifestoque rescriptentium. Sed plane stomachum movebat locus, in quem forte incidi, Institutionum CAII lib. II. tit. 7. exeunte. Si enim, SCHVLTINGIO iudice, nihil in eo vidit OISELIUS, locum singularem qui est admiratus: an ego, eadem loci admiratione captus, hoc mihi sumam, vt plus etiam videam, quam illi? Sed CAII verba adscribamus. Praeterea, inquit, et in hoc alia fideicommissorum et legatorum conditio est, quia fideicomissa, si tardius, quam scriptum est, soluta fuerint, VSVRAE ET FRVCTVS DEBENTVR, LEGATORVM vero VSVRAE non debentur, sed EX MORA SOLUTIONIS, si per damna-

damnationem relicta fuerint, DPLICANTVR. Hic  
 ALEXANDER, vt CAIVM PAVLLO, tanquam aetate  
 aequales fuissent, et, quod grauius est, Imperatoribus,  
 quorum rescriptum a nobis excitatum ob eandem tempo-  
 rum rationem multo post oportet emissum fuisse, conci-  
 liaret, moram solutionis interpretatus est eam, quae ex  
 inficiacione nasceretur. Quodsi heres legatum haud neget,  
 sed in eo praestando morae praetendat Falcidiam, tum  
 arbitratur et vsuras et fructus deberi. Perperam, siquid  
 iudicare valeo. Nam et antiquo iure, quo huic rei caue-  
 retur, propositum fuit remedium l.2. C. de *vsur.* et *fruct.*  
*leg.*, et e verbis CAII adparet; legati tardius soluti vsuras  
 deberi nullas. Contra fideicommissi et *vsurae*, et fructus  
 debebantur ad rationem eam, quam illud vel in quantitate,  
 vel in re frugifera consisteret. De nouo iure facile nobis  
 cum ALEANDRO conuenerit. Neque enim quicquam a  
 ceteris differt legatum damnationis, cuius olim ius erat  
 optimum; neque lis inficiando crescit, si a legato piae  
 caussae reliquo discesseris. Neque vlla est dubitatio, quin  
*vsurae* in caussa legati ex mora emergant debeanturque.  
 At ALEANDRVM ostendere decebat, iam PAVLLI aetate  
 id ita obseruatum esse: quae res omnino spissioris volu-  
 minis est. Sed illo dimisso OISELIVM audiamus. Is

C 2

cum



cum tanquam collegisset se tandem, differentia a CAIO proposita cum diu obstupefactus teneretur, rationem profert eam, quae non nisi in legatum vindicationis conueniat; nam in arbitrio ait esse legatarii, rem sibi legatam vel occupare, vel vindicare. Nam cui per damnationem res pecuniae relicta est, nonne illi eius potiundae caussa heredem adire necesse est? idemque dicendum erit, siquid finendi modo relictum sit. Neque praecipuorum occupatio est dato arbitro familiae erescundae. Sed nec vindicationis legatum recte monet SCHVLTINGIUS, velut quidam ALEANDRVM inter et OISELIVM captus arbiter, rem pro iubitu occupandi daturum esse facultatem, cum heres illam vel detinere, vel, si immobilis sit, possidere queat. Mihi denique, si meum interponere iudicium liceat, omnino displicet ista occupandi libertas, quae et reipublicae, et legis Falcidiae habitu respectu, facile in licentiam degeneret. Hoc rursus vehementer probo, quod idem SCHVLTINGIUS vrget, non hic de mora in solutione facienda, verum de inficiatione legati sermonem esse. Nam ipse quoque PAULVS *sent. recept. I, 19.* legatum damnationis inter caussas, quae inficiatione duplarentur, nominatim refert propterea, quod ad eius praestationem heres perinde, ac si a iudice

iudice esset condemnatus, teneatur, quo et pertinent  
 verba IVSTINIANI §. vlt. *Inst. de obl.* quae *quasi ex*  
*contr.*, *veteres hoc in iis legatis*, *quae certa constituta*  
*per damnationem cuique relicta essent*, *locum habere*  
*voluisse*. Quibus equidem verbis, si locus daretur, col-  
 lati scilicet cum antecedentibus, vsurus esset, ad lectio-  
 nem illorum PAVLLI defendendam, *iudicati depensi*,  
 quae CVIACIVS separavit reponendo, *depositi*; defende-  
 rem vtique illam non modo aduersus ipsum, sed et  
 aduersus PETRVM FABRVM, PITHOEVM, RIT-  
 TERSHVSIVM aliosque, non licet eodem modo, quo  
 GVLIELMV S FORNERIVS, *Select. II. 14.*; cumque  
 intelligentes satis sit verbo monuisse, nihil ego addam,  
 quam regulam illam iuris, qua et ipse alibi vsus est  
 CVIACIVS, *poenas depensas repeti non solere*. Nihil  
 igitur hoc loco viderit OISELIVS, male eum interpre-  
 tatus, incidit tamen is in singulare aliquid animaduer-  
 tendumque. Nimirum CAIVS ait, fideicommissorum  
 tardius solutorum et vsuras et fructus deberi. Cur ita?  
 quoniam heredis, opinor, est ex fide bona agere. Iam  
 igitur conueniunt loci ab interpretibus hanc in rem pro-  
 bat, quibus nihil de actione ex testamento reperias, sed  
 de cognitione loquuntur illi extra ordinem, quae fieret

in



in causa fideicommissi. Quapropter verissimum puto, quod PETRVS FABER cit. loco Semestrium actionem ex testamento simpliciter ad ius strictum refert; nec aliunde quoque defendi responsum poterit MODESTINI in l. 19. *Dig. de r̄su et r̄sufr. leg.* Neque iam mirum cuiquam videbitur, quod CAIVS legati usurpas deberi neget. De fructibus filiet, quippe qui in iudiciis stricti juris inde a tempore iudicii accepti praestandi sunt. Solum fiscum iure Romano usurpas ex mora etiam in causa mutui exigere potuisse nouimus. Sed ut ad OISELIVM reuertar, adprime ad rem facit, quod contendit, differentiam hanc legatorum ac fideicommissorum non fuisse perpetuam. Certo enim constat, iam temporibus PAVLLI, utpote CAIO inferioris, illud in fructibus usurisque obseruari desisse, id quod verba eius vincunt sent. *recept. III. 8. 4.*, quae non potuit interpolare TRIBONIANVS, in Codicem ALARICIANVM utpote relata. Eiusdem tenoris SEVERI et ANTONINI, PAVLLO utriusque aequalis, constitutio est. Sed scrupulus haeret ille, quem nobis diximus PAVLLI verba illa, moram esse, cum postulanti non detur, inieciisse. Qui enim de iudicii accepti tempore, quod Imperatores posuere, accipiантur? Succurrebat interim hoc meditantि, PAVLLVM

texināc



τεχνικῶς fortasse locutum, de postulatione scilicet actionis, quae fieret coram tribunal. Nam postulanti recusans dare, simulac iudice accepto ad iudicium consensisset, litem olim contestatus videbatur. Rursus vero me mouerunt alia, ut vulgari illum loquendi more usum hoc loco fuisse arbitrarer; certe experiundo cognoui, quod pr. l. 32. Dig. de usuris dicitur, an mora facta sit, difficilem factique magis, quam iuris, esse definitionem. Quid enim? nonne ipse PAPINIANVS haud facile euenire monet, ut mora non praecedente ad iudicem eatur? cur igitur tempus litis contestatae in oratione PAVLLI quaeramus? Interpellationem is potest intellexisse, quam dicunt, hominis, solutionem nempe priuatim urgentis. Ac licet IULIANVS §. 7. l. 9. Dig. de legat. I. cum aliis tempus litis contestatae respiciat: nescio tamen an eandem moram spectauerit PAVLLVS noster duobus aliis locis, ut l. 84. et §. 1. l. 87. de legat. II. Adii hac de re doctissimum quoque Hispanum RAMOS del MANZANO, cuius praelectiones ad libros Digestorum de legatis et fideicommissis Vol. V. Thes. MEERM. reperiuntur. Sed parum is hac quidem in re exspectationi respondit. Si res per vindicationem legata sit, fructus eius ait emolumentaque ad legatarium, tanquam eiusdem dominum, pertinere inde

a



a tempore mortis, siue aditae potius hereditatis, quippe quod ad illud mortis retrotrahatur. Contra in legatis per damnationem relictis inque fideicommissis non nisi post item contestatam, vel, si ante illam mora facta sit, fructus ex die morae deberi. Ac verum est, legatum rei aliquem dominum facere, sicut hereditas rei vniuersae facit heredem. Quid autem est, quod iurisconsulti interponant de mortis tempore? Nam PAULLVS quoque *sent. recept. III. 6. 46.* fructus ait solo cohaerentes, h. e. nondum perceptos, ad legatarium, perceptos vero ad heredem pertinere; cuius rei et ipse rationem *l. 80. Dig. de legat. II.* reddidit, quoniam dominium eius rei, quae hereditatis, nunquam autem heredis, fuisset, (hereditatem enim pro domina sensu iuris accipi licet) statim in legatarium, legatum sibi delatum haud repudiantem, transisse videretur. Evidem mortis tempus tum puto respiciendum, quod obscure admodum iste Hispanus ex *Cvriacii tractatu VII ad Africanum* retulit, cum vel alienus, vel ipse quoque legarius rem sibi per vindicationem legatam ignorans possideat, utpote qui tanquam bonae fidei possessores fructus rei percipiendo suos faciunt. Contra si heres fundum tradere debeat, quem et colono mutati dominii caussa teneri ait VLPIANVS

*l. 120.*

*l. 120. §. 2. Dig. de legat. I.*, aequius erit, si ab adita hereditate fructus eum legatario debere statuamus; quod et ex pluribus locis, ut vel commemorem *l. 86. §. 3. cit. l. 120.*  
*§. vlt. de legat. I. et l. 84. Dig. de legat. II.*, declarari potest. Sed aliud placuit GORDIANO Imperatori *l. vlt. C. de vsur. et fruet. leg.*, qui indistincte in causa legati et fideicommissi fructus a tempore litis contestatae decreuit deberi, siue in personam, siue in rem ageretur.

Patet igitur ex his, quae diximus, utile fuisset legatum debiti ex stipulatu aliquo stricti iuris iudicio, non solum aetate PAVLI, sed etiam, cuius fragmentum in *l. 28. Dig. de legat. I.* huic disputationi causam dedit, MARCELLI. Nam et si huius iurisconsulti temporibus in causa legati per damnationem reliqui usurcae ex mora haud deberentur: respicere tamen ille potuit non modo duplum id, cuius mentionem iniicit CAIVS, ipsius aequalis, sed fructus quoque rei per vindicationem legatae; neque enim fructus in iudicio stricti iuris ad petendum comparato praestari solebant. *l. 38. §. 7. Dig. de usuris.* Quid autem PAVLVS? loquitur is non solum de poena dupli ob inficiacionem praestanda, verum etiam de usuris tam legati, quam fideicommissi ex tempore morae. Imperator denique GORDIANVS hoc ius non sustulit, sed ratione fructuum tantum-

D

modo

modo constituit, ut illi, siue actio in personam ex testamento, siue vindicatio instituta esset, inde a iudicio accepto praestarentur. Vidimus enim supra, cum in rem ageretur, (quae verba perperam excitatus RAMOS del MANZANO de missione in rem ex caussa fideicommissi secundum l. 1. C. communia de legat. interpretatus est) fructus a tempore mortis vel aditae hereditatis praestari consueisse.

Sequitur caussa terria, qua id, quod honorario iure debeatur, ARISTONE auctore, dicitur utiliter legari posse, quia ciuilis actio pro honoraria daretur, perpetua scilicet pro temporaria; v. g. poenae debitae ob factum siue delictum, non ex facto, vt alicubi obseruat CVIACIVS.

Quarta est, si quis exceptione perpetua tutus aduersus creditorem debitum eidem legauerit. Videtur enim exceptionem remisisse pr. l. 28. *Dig. de legat. I.* Contra ea, si creditor ipsi leget, nullius momenti IULIANVS legatum fore putat: sed verius est, eatenus valiturum, vt legatarius, qui ab obligatione non liberari, nisi exceptionis ope, posset, per acceptilationem iam h. e. ipso iure liberetur.

Quinto loco huc caussas pr. l. 18. *de auro arg. leg. 1. 95.* §. 1. *de legat. I.* et l. 88. §. 10. *Dig. de legat. II.* referunt, tanquam debitum, quod debitum non esset, legantis. Recte quidem, quoniam falsa demonstratio non vitiat legatum, dum-

dummodo, vt in dotis relegatione, certa res vel quantitas expressa verbis sit.

Quibus caussis sextum denique commodum addimus, tacitae ex iure nouo debitum eiusmodi relegatum munientis hypothecae.

## VI

### TANTVMDEM CREDITORI LEGANTEM NON RELEGARE

Quam captiosum foret populo, M<sup>VCIVS</sup> SCAEVOLA apud TULLIVM inquit, quod scriptum esset negligi, et opinione quaeri voluntates, et interpretatione disertorum scripta simplicium hominum peruertere. Ac profecto, si respondentibus de iure caussasque iudicantibus liceret certa et perspicua repudiare, interpretari autem dubiam atque occultam saepe voluntatem, hoc euenturum tandem arbitror, vt e consultis alienae voluntatis coniectores, e iudicibus fierent vaticinatores. Non ita tamen veteres in munere versati sunt longe nobilissimo, sed ante omnia amplexi sunt verba, illud cogitantes TUBERONIS, neminem videri dixisse, quae non prius sensisset menteque agitasset secum. v.l. 7. Dig. de supell. legat. Quin PAVL-

D 2

LVS



lvs, necubi occasio daretur peruerienda testantium voluntatis, si in verbis nulla esset ambiguitas, de illis vetuit moueri quaestionem *l. 25. §. 1. Dig. de legat. III.* Contra nihil quoque intentatum reliquerunt iurisconsulti, vt, vbi minus clara perspicuae essent verba, quid testator sensisset, id inuestigaretur. Iam ergo, si Titius creditori suo centena legauerit, cum totidem ei deberet: nonne hoc legato honorare illum potius, quam debitum cum eo compensare voluisse existimandus est? Nimirum haec voluntas compensandi incerta est, quae non attenditur, vbi habetur expressa *cit. l. 25.* Quid? quod hac in causa ne valere quidem praesumtio potest pro herede, tanquam in obligationem defuncti debitoris succedente, cum testator neque dixerit, sese illa centena debere, neque aliunde peti possit ratio, vnde relegare illum eadem voluisse pateat derogareque honori verbis declarato. Sed, age, causas in iure tritas ac frequentes circumspiciamus. Videor enim mihi reperisse, in quibus animus ille compensandi suboluerit de iure consultis, quantumuis ad eorum officium facti non pertineat quaestio. Cum igitur in causa *l. 12. Dig. ad l. Falcid.* debitor creditorem suum heredem instituisset, ab eoque petiisset, ne in ratione legis Falcidiae ponenda creditum legatariis reputaret, illudne videtur  
 com-

compensare voluisse, quandoquidem aes alienum deducendum est ante, quam Falcidiae ratio habeatur? *v. l. r. C. de hereditariis action.* Eiusmodi etiam aliquid imperatores in *l. 6. C. de hered. insti.* suspicatos existimo rescribentes, si compensandi debiti caussa, vxor maritum heredem instituisset, huic praeter portionem hereditariam, debitum quoque postulanti, non tantum iuris seueritatem, verum etiam defunctorae voluntatem refragari. Plane siquid fidei heredis commissum sit, id quod nutu quoque fieri constat posse, facilius a scripto receditur, voluntatisque admittitur interpretatio, ut in *l. 121. de legat. I.* At cum cautione hoc accipiendum erit, ne differentiam, quae iure veteri legata inter et fideicomissa est, ingeramus. Quid enim? si debitor rem pignoris iure obligatam creditori legauerit: iure quidem petitur pecunia credita: nihilo tamen minus *PAVLLVS l. 85. Dig. de legat. I.* probationem admittit animi compensandi; aslumtam scilicet, quae argumenta petat extrinsecus, h. e. vel a testibus vel ab instrumentis. Sed, si aequum amamus, eandem quoque probationem par erit in caussa exigere fideicomissi. Nam hoc statuit aperte *MARCELLVS pr. l. 123. Dig. de legat. I.* audiendum esse coheredem, si probare posset, ea mente testatorem heredem instituisse fratrem suum, vt  
insti-



institutione contentus, fideicommisso abstineret. Neque difficulter huius rei redditur ratio, quandoquidem non de iure fideicommissi, cuius plenior sit interpretatio, verum de obligatione liberatione agitur heredis. Quare an eiusdem, tanquam debitoris, habenda ratio sit, supereft ut videamus. Fac igitur maritum pecuniae summam aliquam legasse vxori, a qua vel eandem, vel maiorem, vel minorem in dotem accepisset: num praeter dotem illa reliquum sibi petet, non labore partum? Ac verum est ex ipsis IUSTINIANI constit. de rei vxor. aet. §. 3., utramque ei quantitatatem deberi propterea, quod in testamento nihil nominatum relictum pro dote sit. Quin et si pater, dotem pro filia qui promisisset, praeteritae ei vel emancipatae legatum dederit, eandem non modo dotem, sed et legatum consecuturam existimat POMPONIVS l. 4. *Dig. de dot. collat.* Quid autem IULIANVS in causa l. 84. §. 6. *de legat. I.*, cum pater centum dotis nomine pro filia sua promisisset, deinde centum illi eadem legasset? doli mali is arbitratus est exceptione heredem tutum fore, si et gener ex promissione, et puella ex testamento ageret: alterutra enim actione eos contentos esse oportere. Sed quaerere adtinet, utrum verbis ille his, *eadem centena*, eandem in legato ac promissione quantitatem, an dotis compensandae men-

tio-

tionem factam significauerit? Posterius mihi quidem probabile est propterea, quod non dixerit centum simpliciter, vel eandem quantitatem, sed definite eadem centena, quasi ipsa illa, quae dotis nomine promisisset? Quidquid sit: locus certe hic ad rem non minus erat accommodatus, quam ille *l. 22. §. 3. solut. matrim.*, ex quo recentiores iuris interpretes excuslpse differentiam inter debitum necessarium, quod ex lege, ac voluntarium, quod ex voluntate contrahentium exsisteret. Quid? quod aperte de dote agit profectitia, cum in altero loco etiam pro aduentitia dote accipi possit ea, quam pater absente filia exagerat. Ceterum compensationem is ipse euidenter demonstrat. Nam filiae actionem ibi negat **IVLIANVS**, siue patri illa heres fuerit, siue legatum acceperit tantum, quantum doti satis esset; eique in dotem vult compensari a patre quod esset datum. Cur autem addidit lucro cessurum illius, si tantum a patte consecuta sit, quantum ei debeatur a marito, qui patri soluerit? Non solent hoc obseruare interpretes. Sed beneficium, opinor, in caussa fuit, quod dicunt, competentiae, quoniam maritus in iudicio dotis eo, quod esset bonae fidei, ultra quod facere posset haud erat condemnandus. Longum est, super auth. practerea *C. unde vir et vxor nouellarumque*



53 et 117 capitibus iis, quibus portio coniugi pauperi debita, et ipsa quoque cum legato compensanda, defenditur, aliisque debitibus necessariis disputare: hoc quidem prae me fero, differentiae me illius, quam dixi, valorem nondum ex illo Digestorum loco l. 22. §. 3. extricare potuisse; praesertim cum ad benignorem iuris interpretationem haec quoque ratio valeat, noluisse patrem duplice praefestatione dotis filium eundem atque heredem onerare. Ceterum cur LEYSERVUS, spec. 393. m. 4. distinctioni illi aliquid de suo additurus, promissionem dotis generalem ad effectum dotis compensandae exegerit, nescio, ut modeste dicam; contrarium credo apparebit, si cum l. 84. §. 6. de legat. I. locus ille POMPONII, quem et ipse pro sententia sua virget, l. 4. Dig. de dotis collat., conferatur.

---

#### CORRIGENDA

- p. 2. l. 14. lege : §. 1.
- p.ead.l. 15. —— pr. *Inst. de lege Falc.*
- p. 8. l. 20. —— *de legat. II.*
- p. 13. l. 10. —— pronuntianti

IACOBO LUDOVICO IKENIO SVO

S. P. D

IOH. LUDOVICVS CONRADI

Quo die Tv, ab amplissimo parente commendatus,  
primum in conspectum mihi sermonemque venisti, statim  
excellens illud TvvM animaduerti atque ad omnia pree-  
clara factum ingenium, admiratusque vehementer sum.  
Sed illud naturae est ac fortunae, hoc TVAE virtutis,  
quod illud non temere nisi ad artium liberalium studia  
recte nauiterque colenda contulisti, et illarum dignitate  
atque incredibili quadam dulcedine, et prudenter sua-  
dentium commotus auctoritate. In quo loci cuiusdam in  
mentem Tullii venit ex epistola ad M. Brutum, quem  
mihi adeo temperare non possum, quin adscribam, si forte  
ea res habitura vim aliquam sit ad TE in perenni studio  
continendum, quod equidem hanc diffido ita fore, sed non

E

poeni-



poenitebit illa cognouisse. De Messala loquitur, adolescente  
summae spei, cum ad summa quaeque in republica Cice-  
rone et omnibus bonis fauentibus pleno gradu contenderet:  
quo certe ille ascendisset, nisi belli ciuilis, in qua sequutus  
est optimas partes, fuisse tanquam fluctibus obrutus.  
Huic igitur cum ea, quae diximus, tribuisset, sic pergit:  
tanta autem industria est, tantumque euigilat in studio,  
vt non maxima ingenio, quod in eo summum est, gratia  
habenda videatur. Optime profecto. Summa enim illa  
eruditio[n]is laus, nisi ad naturam eximiam acceſſerit ar-  
dentissimum studium laborque assiduus, contingere nemini  
posſit. Pergens itaque qua coepisti, et gloriam veram  
consequeris solidamque, et vero optimi parentis animum  
gaudio cumulabis ingenti. Cuius quidem ingenium acre  
inque bonis litteris maturos progressus ego suspexi iam inde  
a curriculi academici initio. TIBI ergo ab illo edito,  
et quod maius est, in gremio eiusdem nutritio, v[er]naculane  
illa virtutis deesse incitamenta, aut rerum laudandarum  
exempla putem posse? Addent animum etiam praemia  
TIBI proposita parataque: et statim ab Academia nostra,  
quae tanquam ludorum gymnicorum v[ict]ores olim, sic TE  
non nisi corona virtutis ergo donatum dimittere condecora-  
turque: instat enim TIBI huius quasi fabulae actus  
ultimo, disputatio sollemnis, quam TV, vt iubeo et  
augu-

auguror, feliciter atque ex animi sententia sustinebis:  
et non ita multo post a patria. Quam spem haud vanam  
esse, neque ad irritum ut illa recidat fore, exempla ar-  
guunt, siue aliorum meorum nuper auditorum, qui sum-  
morum in patria hominum benevolentiam mihi conciliare  
pro se quisque laborarunt, siue KLVGKISTII in primis  
TVI quunculi, quem honoris causa appello: qui omnes  
nunc illas doctrinae copias, quas indefesso studio pepere-  
runt, in ciuitate vestra regenda explicant promuntque  
nauando operam suis ciuibus et fructuosam et gratam.  
Quamobrem non possum TIBI non vehementer gratulari  
de fortuna vel praesenti, vel sperata, et gaudere bonis  
TIBI partis iubeo. De reliquo, siquid bene de TE  
mereri potui, volui quidem certe, ut memoriam mei  
cum benevolentia retineas, rogo.

Scribebam in Acad. Marburg. V Id. Nouembr.  
a C. N. cii cii cc lxxviii.



Marburg, diss., 1773-  
8

ULB Halle  
005 359 880



3


vDn8





B.I.G.

**Farbkarte #13**



RELEGATO DEBITO  
DISSERTATIO  
1779, 8.  
QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
ENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE  
ET DOMINO  
O FRIDERICO II  
HASSIAE LANDGRAVIO RELIQUA  
STRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
RITE CAPESSEN DOS  
PVBLICO EXAMINI  
D. D. XXIII. NOVEMBR. CIO I5 CC LXXVIIII  
SVBIICIT  
COBV S L VDOVICVS IKEN  
BREMA-SAXO  
MARBVRGI  
TYPIS IOANNIS BAYRHOFFERI.

